



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Ad Candidos Theologos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

AD CANDIDOS THEOLOGOS.

HABETIS hic Reuerendī patris Martini Lutherij Theologi
cas lucubrationes, quem pleriq; putant uelut Danielem quendam
a CHRISTO tandem nos respiciente missum, ut abusus aliq̄
Theologis Euāgelicam, ac Paulinam Theologiam cum ueterum
commentarijs iuxta negligentibus, & circa meras ampliacionum,
restrictionum, appellationum, ac uere paruorum logicalium nu-
gas occupatis, in ecclesia sua natos hic coarguat. Atq; utinam o-
mnīs Theologos a Lethargo tandem expergesieri contingat, Vt
omissis Fraternalibus somnijs, summis dictum oportuit, Euangelis-
cam philosophiam malint quam Aristotelicam, Paulinam quam
Scoticam, ut deinceps Hieronymum, Augustinum, Ambrosium,
Cyprianum, Athanasium, Hilarium, Basilium, Io. Chrysofomum,
Theophylactum, anteponant Lyrano, Thomæ, Scoto, & cæteris o-
piniolis Scholæ disputatoribus, Vt CHRISTVM nō ad mun-
dum trahant, quod tam passim facit Aquinensis ille Thomas, sed
mundum ad CHRISTI doctrinam erudiant, Vt non aliud dis-
cant in scholis dum agunt comœdias, aliud domi, apud populum
aliud, aliud apud amicos familiareis, Vt non facili de causa, aut eti-
am non causa, bonos uiros cum ipsis ineptire nolentes, hæreticos
pronunciare conentur, quosdam Parrisiensis Scholæ Theologos
imitati, qui Iacobum Fabrum Stapulensem eruditionis & integritatis
columnen, quod ineptam istam noui instrumenti uersionem ad-
ductis argumentis esse Hieronymi negasset, hæreseos damnare uol-
uerunt, seipsos interim non citra academix totius ignominiam, at-
que pud totum orbem & omnem forsan posteritatem imperitiæ & in-
uidiæ, atq; malignitatis notantes, Sed cogitent Scholasticas opinio-
nes nequaquam fieri debere Christianorū onera, Cogitent mundū pas-
sim nunc emergentibus studijs resipiscere, Laicos non tam crassos
q̄ fuerunt olim, CHRISTVM & Paulum in primis ament, spi-
rent, complectantur, & comperient quædam secus habentia quam
Questionistæ hactenus docuerunt. Itaq; fratres tempus est nos a so-
mno surgere. Bene Valeat candidi Theologi.